



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

52. An etiam citra emissam professionem per ingressum Religionis ( prout contingis in Societate Iesu) vacent beneficia præhabita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)



Commendatario ordinis S. Jacobi Calatrava & Alacantara, & similibus admitti non possunt ad beneficia facularia, cum sint religiosi, & Canonico- rum S. Augustini Regulam teneant; Et quæ habet idem Garc. p. 1. c. 4. à nu. 21. ubi: quidquid sit de hoc, an sint verè religiosi, an solum largo modo (quod secundum rectius dicitur) sunt tamen personæ Ecclesiastica, & ad effectum, ut non possint habere beneficia facularia, cenferi regulares, ut constat ex constitut. 71. Pii V.) secus est de Equitibus S. Joannis seu Melitenibus, utpote qui professionem religiosam emittunt, & sunt propriè religiosi. Barb. loc. cit. Castrop. loc. cit. nu. 2. citans Sanch. l. 7. in decal. c. 29. n. 4.

3. Dixi secundò: per professionem expressam vel tacitam; circa quod obiter hic observandum primò: professionem tacitam illam dici, quæ inferitur per conjecturas & signa extrinseca. Lott. l. 3. q. 26. n. 38. & fieri censetur per actum aliquem professis proprium, v.g. per præsentiam in Capitulo & actibus Capitularibus, & ferendo suffragium; ac præcipuè per gestationem habitus professorum distincti ab habitu non professorum (non distinctione aliquâ latente, puta, ex benedictione, sed patente ex colore, vel scissurâ, aliâve extrinseca formâ. Lott. n. 42.) scienter suscepti (intellige solenniter de manu habentis potestatem. Lott. n. 39, citans Decian. cons. 18. nu. 11. l. 3. Gratian. discept. for. c. 49. n. 37. item sciente Capitulo; si enim aliàs novitius exacto probationis anno continuaret in gestatione habitus professorum, etiam distincti, non sciente vel consentiente Capitulo, non induceretur tacita professio; eò quòd non sufficiat ad hoc, quòd ingressus religionem declaret factò aliquo se profiteri; sed exigitur simultanea acceptio Superioris & Conventus. Lott. n. 47. citans Menoch. lib. 6. presump. 83. n. 15. Azor. p. 1. l. 12. c. 5. q. 3.) & delati ad dies aliquot; hoc enim ipso fit tacitè professus & religioni obligatus, vide Engels ad. rit. de regular. n. 25. dum de cetero per habitus, quem novitii soli gestare solent, gestationem, etiam ad viginti annos non induceretur professio tacita. Lott. n. 43. ex Abb. in c. ex parte. de regular. n. 3. Secundò: hanc tacitam professionem per Trid. sess. 25. de regular. c. 15. nec alibi sublatam esse. Lott. loc. cit. nu. 40. Engels loc. cit. Garc. p. 11. c. 9. nu. 8. juxta declarationem sacræ Congreg. modò tamen servetur forma & modus à Trid. loc. cit. præscriptus; ut scilicet actus ille, per quem inducitur hæc tacita professio, fiat liberè, scienter, cum intentione profitendi post annum 16. ætatis, & tempus novitatus absolutum à religione acceptetur & c. Engels & Garc. ll. cit. Miranda in Manual. Prælat. tom. 1. q. 24. n. 12. Barb. ad cit. c. 15. Trid. Porò his non obstantibus, si dispensetur cum novitio, inducenda aliàs per professionem vacatio impeditur, etiam securâ professione, sive hæc dispensatio fiat per modum commendæ per Papam, sive aliter, ut non ipse religiosus, sed monasterium ex ejus persona fruatur beneficio, ut Staph. de lit. grat. rit. de var. mod. var. modo. 6. n. 4. Lott. cit. q. 26. n. 14.

*Quæstio 51. Num professione existente nullâ, vacant adhuc beneficia, sicut dictum de matrimonio nulliter contracto?*

**R**espondeo negativè; sed declaratâ professione nullâ reperere, seu adire potest suum beneficium: sive hæc nullitas proveniat ex defectu

ætatis, sive ex defectu vel interpolatione Novitatus, vel aliunde. Lott. cit. q. 26. n. 32. disparitas videtur ex eo erui, quòd ut dictum, beneficiatus contrahens matrimonium deserat electionem status melioris, ob quod punitur dictâ privatione beneficii; in præsentem autem assumitur vel attenuatur status melior, ob quod nemo privandus.

*Quæstio 52. An etiam citra emissam professionem per ingressum religionis (prou contingit in Societate Iesu, ubi vota emissâ post biennium Novitatus simplicia constituunt verè religiosum, speciali jure, seu pontifice sic statuente; adeoque ibi ingressus in religionem distinguitur ab emissione professionis, per quam aliàs in aliis ordinibus ingreditur quis religionem) vacent beneficia præhabita?*

**R**espondeo: per dictum ingressum religionis in Societate non vacant ipso jure habita aliàs tempore novitatus beneficia, nec pensiones, sed has & illa validè & licitè retinere possunt, tametsi non possint de illis, eorumque fructibus sine consensu Superioris sui, saltem licitè, disponere; quia per dicta vota non privantur dominio. Castrop. loc. cit. n. 7. Barb. juris Eccl. l. 3. r. 14. n. 5. Sanch. in Decalog. l. 7. c. 29. num. 10. Veruntamen ex præscripto ipsius Societatis, nimirum can. 5. congreg. 3. generalis. antequam dicta vota simplicia emittantur, seu ante ingressum in societatem beneficia quæcung; Ecclesiastica habita resignare debent, non obstantè Can. congreg. prime. quo cautum aliàs erat, ne hostri, qui tempore novitatus haberent beneficia, cogerentur ea relinquere ante professionem, nisi jubente Generali, Commissario, vel Provinciali post annum primum probationis. Atque ita modò post expletum Novitatum vacant eorum beneficia non aliunde, quàm vi dictæ resignationis factæ. Castrop. loc. cit. Sanch. loc. cit. n. 7. de cetero per professionem solennem, uti & per vota Coadjutorum (utpote per quæ redduntur omnino incapaces bona vel jura acquirenda & retinendi) vacant ipso jure beneficia ab iis habita in sæculo. Barb. loc. cit. n. 4. Castrop. cit. n. 7.

*Quæstio 53. Quid hac in re dicendum de Conuersis?*

**R**espondeo primò: supponendo juxta c. ut lex. 27. q. 1. duplex esse genus Conuersorum, videlicet professorum, & non professorum. Lott. l. 3. q. 26. n. 21. Conuersus professor dicitur, qui ingressus monasterium vel Ecclesiam regularem non simpliciter tantum obedientiam, sed formaliter emittit obedientiam monachalem, æquipollentem professioni, qualis dicitur ea juxta Archid. in cit. c. ut lex. ubi quis abnegat propriam voluntatem, & deinceps eam (intellige plenè, & in omnibus, & in perpetuum) subijcit voluntati Superioris regularis. Lott. loc. cit. à nu. 19. Conuersus non professus est, qui solum ingressus monasterium assumpsit habitum, & simpliciter obedientiam promittit citra formalem illam emissionem obedientiæ monachalis. Inferitur ex iis, quæ habet Lott. loc. cit. n. 18. quem in finem notanda, quæ habet Lott. ibid. à n. 15. ex Gemin. in c. beneficium. de regular. in 6. n. 5. ubi: quòd valde inter se differant hæc duo; ingredi monasterium, & ingredi religionem; ac proinde ex uno ad aliud male inferri; ingressus enim monasterium conficitur per